Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2275

Quelle:
Copyright:

damna Schiſmatis vivis coloribus expingit, contenditque Eccleſiam univerſalem deſerta *Baſilea*, *Ferraria*que in tertio quopiam loco cogendam, procurato ad hoc tam *Eugenii*, quam *Felicis* conſenſu. Init ille: *Quia iuxta ſapientis conſilium eccleſiaſtici XXXVIII. cap. ſcribenda eſt ſapientia in tempore vacuitatis* &c. et mox mentem ſuam aperit: *nulla via videtur ſecurior planior compendioſior et ad plenam vnionem efficiendam et ſtabiliter continuandam efficacior, quam debita ad cautelam inſtantia pro translatione Baſilienſis Concilij ad alium locum tertium merito ambobus contendentibus gratum, conformem decretis patrum, Regibus et principibus tam ſpiritualibus quam ſecularibus pro ipſorum aut ſuorum congregatione aptum et ydoneum* &c. Multa in his *Aviſamentis*, ut mox ſub principium etiam adpellat Autor ipſe, ſacrae Antiquitatis et Canonum peritia, multus rerum et locorum uſus, ut adeo in quadam *Rerum Conciliarium Baſilienſium* Collectione jure optimo compararent. Poſt *Conſiderationes* ſolvit *Haſelbachius* ea, quae obmoveri poſſent, et finit: *vnde ordinationem parui decreti ipſemet Eugenius demonſtratur violaſſe*. Parvum iſtud Decretum agens de remiſſione *Graecorum Baſilea* in patriam, datumque *Non. Maj.* 1437. noſtro Scripto inſertum eſt, a me vero in Actis Concilii haud repertum. Porro Scriptum ipſum αὐτογραφον, et ob multa in margine addita primae meditationis eſſe videtur.

II. *fol.* 29. כִּיזוֹב חִידוֹף וְגִידוּף הַיְהוּדִים הָרַעִים וְהַחַטָּאִים Id eſt: *Mendacia, contumeliae et calumniae Judaeorum impiorum etpeccatorum.* Sequitur Praeloquium in blaſphemum Libellum, cui titulus: סֵפֶר תּוֹלְדוֹת יֵשׁוּ הַנּוֹצְרִי זְמַח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹ Id eſt: *Liber Generationis Jeſu Nazareni, cujus nomenet memoria deleatur.* Poſt Libellum habentur Rhythmi quidam hebraici ejusdem furfuris, et demum Refutatio Libelli imperfecta. Jam dicendum de ſingulis. Praeloquium ita orditur: *Multa multis retroactis annorum decurſibus ſollicitudine anxius mirari et ſupermirari cepi, cur miſerabilis Judeorum populus in ſua contra ſcripturas ſuas ſic permaneat cecitate obduratus — Et licet ſparſim colligerem ex eorum cartulis et ex quorundam muſitacionibus intelligerem tacitus, quendam fore codicellum, quem multa diligentia ſtudendo reuoluunt, in quo ſuos paruulos pene a Cunabulis imbuunt, ac ipſa ſacerrima Natiuitatis domini ſaluatoris noſtri nocte pariter ac die multis vicibus blaſphemias inibi contentas in publico conuentu multa cum attentione recitare diſponunt* &c. Et ſic ad Libellum delabitur, quem *omni falſitate mendatio pariter et contradictionibus apertis pleniſſimum* ait ſe, ut potuit, *coadiuvante quodam Hebreo fideliſſimo fere de verbo ad verbum in latinam lingwam ruſtico ſtilo* convertiſſe &c. En igitur ipſum Libellum a Sata-

na,